





Pra. 7. num. 7.

1715/24^a

28

DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA
 DE
 CLAVSULA FORMVLÆ CITATIONIS
 INSERI SOLITA
IVSTO TEMPORE
MATVINO

P. 465

Su rechter früber Tages-Zeit.

QVAM
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. GVILIELMO HENRICO
 DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
 GVESTPHALIAE ET RELIQA
 EX DECRETO ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
 PRAESIDE ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

CHRISTIANO VILDVOGELIO
 JCTO FAMIGERATISSIMO

SERENISS. DVCE SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIO STATVS INTIMO
 CVRIAE PROVINCIALIS COMMVNIS, ET SCABINATVS ASSESSORE
 DIGNISSIMO, NEC NON COLLEGII IVRIDICI SENIORE GRAVISSIMO,
 ET ANTECESSORE CELEBERRIMO

PATRONO SVO QVOVIS HONORIS CVLTV ETATEM COLENDO


PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES, IVRA AC PRIVILEGIA
 RITE CAPESSENDI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
 PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVSSIONI SVBMITTIT
 AD DIEM XXIII JAN. M DCC XV.

JOHANNES GOTTLIEB Wenzel/ MIHLA-THVRING.

GENAE, TYPIS MVLLERIANIS.





I. N. I.



Um in negotiis, quæ plerumque in communi vita nobis obveniunt, haud raro momentum quoque temporis attendendum sit, quis inficiabitur, in accuratissima juris

nostri disciplina, temporis quoque rationem quam maxime habendam esse? Tiraquell. *Tract. de Jud. in reb. exig. ferend.* Alciatus in *Commentar. ad Libr. 20. ff. de Rebus Credit. § se cert. pet.* Non enim solis Chronologis aut Physicis res est cum temporum cognitione, sed & Jurisconsultis, cum reipublicæ potissima interlit, ut jura justo proponantur reddanturque tempore. Videas hinc non Eustathium tantum, Antonellum, Cravettam, Cujacium, Olden-

dendorpium, Fœnutium, Mandosium, Alber.
Gentilem, sed etiam multos alios in eruendis &
annotandis temporum diuersitatibus defudasse.
Quæ & quanta autem prostant, quæ Viri isti
prudentissimi de temporibus summo cum stu-
dio & labore conscribere volumina, parum ta-
men, vel plane nihil in illis inuenies, quod ter-
minum & tempus Judicem adeundi concernat.
In animum itaque induxi, quantum exiguæ meæ
permitterent vires, de hoc themate, fori usu se
commendante, quædam proferre in medium.
Occupabor autem potissimum in hoc, ut id,
quod iustum est, circa clausulam, formulæ Ci-
tationis inseri solitam, **IUSTO TEMPORE**
MATUTINO, zu rechter früher Tages-Zeit/
pro exercitationis academicæ instituto, expo-
nam. Faxit Deus, ut hoc cedat feliciter!

S. I.

Quando animus est, omnia iusto pertractare ordine,
paucis præmittendum erit, quid sit *tempus*, & quid
per prædicata ejus, *iustum & matutinum* hoc loco intel-
ligi debeat. Tempus generaliter definire difficile esse,
agnovisse videtur, qui scripsit: *si nemo ex me querat,*
quid sit tempus, scio; si querenti respondere debeo, nescio.
Nobis interim illud definitur, quod sit spatium ex cæli
solisque vertigine deductum, & in partes, horas pura,
dies,

⦿ (;) ⦿

dies, menses, annos &c. divisum. Aut, si magis ardeat definitio Ciceronis *Libr. 2. de Inventione*, Tempus est pars quædam æternitatis, cum alicujus annui, mensuri, diurni, nocturnique spatii certa significatione, vid. Alb. Gentilis de *diversis temporum appellat. cap. 1.* Dividitur in præsens, præteritum & futurum, de quibus vid. Zepper. in *Cynofura legali, cap. 6. pag. 126. & seqq.* & porro in longum, breve & modicum &c. quorum singulas definitiones vel descriptiones pagellis his inscribere non attinet, cum ea neminem latere possint.

§. II.

Justum in jure duplici modo dici potest. 1.) Summitur pro eo, quod per se honestum, & naturali æquitati consentaneum est, Bicc. in *præloq. rer. quotid. num. 27.* Sic simpliciter humanæ rationi congruum, adeoque justum est, ut homo Deum recte colat, vitæ suæ ac salutis rationem habeat, & in summa omnia ea vel omittat, vel faciat, quæ lege divina morali, eaque vel ex lumine rectæ rationis, vel ex lumine sacrae revelationis innatescente injuncta sunt. 2.) Denotat bonum, per quod *ὁ ἀνθρώπος*, seu id quod hominis constitutione, qui potestatem leges ferendi habet, in utilitatem civitatis sancitur, intelligi volunt; qua ratione stipulationes, feudorum instituta, testamenta, & similia, justa audiunt. Prior itaque significatio, cum instituto nostro magis conveniat, quam contrarietur, posteriorisque fons & origo sit, unde formula hæc, ut *quis justo tempore matutino* compareat, promanavit, utramque complectimur.

§ III.

Matutinum est adjectivum vocabuluna, descendens a substantivo suo *Matuta*, *Morgenröthe* & indicat præcipue horas anteemeridianas; quo significatu ipse Cicero ea voce utitur, dum in *famil. Lib. 7. epist. 1.* ait, *matutina tempora lectiunculis consumo*. In latiore vero & quidem juridico significatu, duratio matutini temporis usque ad horam IV. vel, ut in quibusdam locis servatur, VI. pomeridianam extenditur, juri ex sequentibus pluribus patebit.

§ IV.

Exposita significatione verborum, nunc ad rem ipsam est aggrediendum. Notissimum vero est, eum, qui aliquem judicialiter convenire cupit, necessario a iudice competente petere oportere, ut adversario certus ad comparandum præfiniatur dies, Stryk. *Introduct. ad Prax. for. cap. 3. §. 1.* cum nemo prædamnetur vel absens, vel non cognita causa, *Lib. 1. ff. de requirendis vel absentibus damnand. Libr. 1. de Pen. ibique Gothofred. Rittershus. Libr. 7. sacrar. lect. cap. 15.* Nemini etiam hodie concessum est, ut vi & autoritate privata adversarium ad iudicem rapiat, qui mos olim erat apud Romanos, testante Horatio *Libr. 1. Sat. 9.* Denique nec apparitores hodie amplius absque iudicis mandato, & solius actoris jussu, citare debent; quo quidem instituto, post abrogatam violentam illam ipsiusmet actoris vocationem, usque ad tempora Justiniani utebantur Romani, vid. Schilter. in *Exerc. ad ff. Ex. VII. th. 4. §. seqq.* Nunc etiam, nisi forte consuetudo quorundam locorum appari-

apparitoribus, tanquam personis mediante jurejurando publice constitutis, vulgò geschwöhrnen Gerichts-Boten / oder Dienern / id potestatis conceder: quo casu, & dum creditur, judicem in hanc vocationem consensisse, vix impune citatus emanabit. Gudelin. de jure novissimo, Lib. IV. cap. 8. Harprecht. de success. part. 1. pag. 774. Quidquid interim hujus sit, id sane expeditum est, citationem esse necessarium processus requisitum, & regulariter omitti non posse, prout etiam Imperator noster conceptis verbis hoc innuit in §. 3. *Instit. de poena temere litig.* dum ait: *Omnium autem actionum instituendarum principium ab ea parte profiscitur, qua Prætor edicit de in jus vocando.* Dixi regulariter non omittendam esse citationem: conferri autem de exceptionibus hujus regula omnino meretur Dissertat. Illustris atque Excellent. Dn. Præsidis de *Citatione ad Processum non necessaria.*

§. V.

Quemadmodum vero stylo hodierno definiri potest citatio, quod sit legitima vocatio adversarii ad iudicium, jussu & auctoritate judicis suscepta: ita non attinet ad præsentis tractationis institutum, de ejusdem divisione, effectu atque contrariis multa proponere. Forma autem citationis his maxime requisitis absolvitur 1.) ut exprimat *nomen judicis*, ita tamen, ut in iudice ordinario nomen officii sufficere possit. 2.) *nomen citati*, 3.) *nomen actoris*, 4.) *causa citationis*, unde communiter una cum citatione copia libelli transmitti solet. 5.) *locus iudicii*, 6.) *dies*, legitimæ disceptationi præfinitus, subiecta clausula, ut in illo reus **JUSTO TEMPORE MATUTINO**

TUTINO compareat, zu rechter früher Tages-Zeit un-
ausbleiblich zu erscheinen. Missis autem hac vice etiam
reliquis, quæ ad citationis formam pertinent, requisitis,
solum de natura atque effectu finalis illius clausulæ dispu-
tationis telam pertexam.

§. VI.

Morem olim apud Athenienses fuisse, ut eorum
judices, quos Areopagitas vocabant, causas nocturno
tempore & in tenebris examinarent, ne aspectu perso-
narum actoris vel rei, a via & rectitudine justitiæ distra-
herentur, auctores nobis sunt Farnesius in *Simul. Rei-
publ. Libr. I. cap. 9.* & Polyd. Ripa in *Tractat. de
tempore noct. cap. 91. num. 14.* quibus adstipulantur
Zaanschlieffer. *de jur. noct. Meurs. de Areopago cap. VI.
Cruil. de nocte. cap. 6. pag. 157. 158.* Idem Meurs. *Libr. 6.
attic. lect. cap. 4.* Sigon. *de rep. Atheniens. Lib. 2. cap. 5.*
aliique. Similiter apud Romanos non omnia judicia
nocturno tempore fuerunt clausa: liquidem inter ur-
banos præfectos, legimus fuisse *magistratus vesperti-
nos*, quinque viros cis & ultra Tiberim constitutos, qui
possent nocturno tempore, quo apparere ipsos magi-
stratus inconueniens iudicabatur, vices magistratum
obire *Lib. 2. §. 31. de or. Jur. vid. Gregorius Tholos. Syn-
jur. libr. 47. cap. 35. num. 10.* Imo huc etiam spectare
videtur Constitutio Justiniani in *Novell. 82. cap. 3.* ibi:
*sedebant autem hi pedaneii iudices continue, matutino
mox & meridie & vespere audientes causas.* Præterea
ejusdem generis est, quod Paulus Libro XIII. ad Sabinum
respondit, *More, inquit, romano dies a media nocte*

INCIPIT

incipit,



incipit, & sequentis noctis media parte finitur: itaque quidquid in his XXIV. horis, id est, duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum est, perinde est, ac si quavis hora lucis actum esset, Leg. 8. ff. de ser. & dilat. Unde dicendum videbatur, iudicem intra viginti quatuor horas illas, quando vellet, sui copiam facere, ac iudicare posse, neque reum cogi, mane vel meridie adesse, sed sufficere, vel vesperi, vel circa primam aut secundam noctis partem comparere, quia qualibet eius diei parte praesens esse videatur. Ceterum, ne quis hoc existimaret, Lege XII. Tabb. expressum erat, ut mane causae coniectio fieret, praesentibus litigatoribus, ut meridie lis praesenti addiceretur, & ut solis occasus suprema tempestas esset, iudicis quoque finem imponeret. Gellius Noct. Attic. Libr. 17. cap. 2. Inconveniens enim erat, magistratum ordinarium vespertino nocturnoque tempore in publico versari, Leg. 2. §. 31. de O. J. etiamsi diei civilis appellatione Romanorum more contineretur. Atque in hunc sensum quoque accipienda est Novella Justiniani 82. cap. 3. scilicet, non ut noctu & in tenebris iudicare liceat, sed usque ad occasum solis. Compara Joh. Goeddæum ad Leg. 2. §. 1. ff. de V. S. Scip. Gentilem de Jurisdic. Libr. II. cap. 29. Gravinam de Orig. Jur. Civil. pag. 387.

§. VII.

Cum itaque a magistratu ordinario nocturno tempore iudicia exerceri, aut sententiae ferri non possint, & scia noctu lata pro turpibus & irritis habeantur, prout ex objectione in oratione Ciceronis Philippica III. cap. 10. Antonio consuli facta, itemque ex Manutio, de Senat.

B

&

& *Sci. pag. 49. 50.* colligi potest; haud dubio hic mos ad nostra quoque transit tempora, & sancitum est, ut omnes actus judiciales tempore diurno pertractentur, nisi urgens causa, vel inevitabilis necessitas aliud suadeat, aut partes consentiant, quo casu omnino horis nocturnis iudicium institui, actusque obvenientes exerceri, imo citationes ad requisitionem partis ab actuario describi, relationemque nuncii ad acta recipi posse, tradit Heinr. Cardinal. Hostiens. ad *c. consuluit. X. de offic. delegat.* Panormitan. ad *cap. 2. quoniam contra. X. de probat.* Marc. Anton. Eugen. *Libr. I. Conf. 48. num. 35. & seqq.* Nihilominus autem extra praedictos casus ad certam noctis horam citatum renuentem impune emanere, nec ad comparendum & respondendum cogi posse, Joh. de Selv. in *Tract. de benefic. quest. 17. pr. P. I.* & Carpzovius in *Process. Tit. II. art. 3.* jamdudum docuerunt.

§. VIII.

Quae, cum ita se habeant, scilicet, ut iudicia non amplius horis vespertinis, sed diurno constitui debeant tempore, sine magna difficultate potest intelligi, quid sit, quod citationes quoque hodie ad tempus diurnum restringantur, iisque clausula: **IUSTO TEMPORE MATUTINO**, zu rechter früher Tages-Zeit/ inferi soleat. Hæc autem, quia nimis obscura, dum in ea neque diei præfixi hora a qua, neque ad quam, determinata apparet, instituti nostri ratio postulat, eam paulo penitus inspicere, & investigare, quis verus sit & genuinus hujus phraseos sensus, quem illa effectum habeat, & quibus in actibus locum sibi vindicet?

Quod itaque principio ad sensum & interpretationem illius clausulae attinet, merito illa explicatio reliquis omnibus est anteferenda, quam princeps ipse, legislatoria potestate instructus, dedisse intelligitur, vid. Zieglerus de *Juribus Majest. Libr. I. cap. 6. §. 10. & seqq.* Constat vero in *Ordinat. Process. Magdeb. cap. X. §. 5. Es sollen alle diejenigen etc.* nec non in *ordinat. Judic. Anhalt. Tit. 7. §. 1.* hac de re expresse sancitum esse, ut infra pluribus monstrabitur.

Quemadmodum autem deficiente interpretatione authentica, ad usualem est recurrendum, cum optima sit legum interpretis consuetudo, *l. 37. ff. de LL.* In Saxonia vero de sensu laudatae phraseos expressa lex deficit, ideo res ex stylo curiarum decidenda venit. Quoties itaque in foris Saxonice hac clausula, *zu rechter früber Tages Zeit* citationibus inserta est, toties ea non ita accipi debet, ac si citatus nulla alia hora quam IX. (hac enim ut plurimum adjicitur) comparere posset; sed integrum ipsi est, regulariter etiam post meridiem, usque ad horam IV. judicem adire. *Carpzov. in Decis. Illustr. P. I. Dec. 43. & in Process. tit. 7. art. 2. n. 56.* Brunnem. ad *Proc. c. 6. n. 7.* adeoque totus dies ipsi currit, & secundum *Berlichium P. I. concl. 17. num. 80.* tota dies pro eo militat; junde *Dn. Stryk. Introd. ad prax. cap. 4. §. 14.* & hora præcisè servanda non est. *Lauterb. de variat. temp. p. 20.* Si vero hora IV. jam audita reus veniat, male sibi consulit, dum contumaciæ accusationem nullo modo effu-

gere potest. Cui opinioni & nos non immerito adstipulantes recte dicimus, a prima diei hora usque ad IV. pomeridianam citato in iudicio se sistere liberum esse: quoniam ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, non minus quam ea, quæ scripta sunt, jura, servari debent, ut est in *Lege 35. juncta Lege 38. ff. de LL.*

§. XI.

Cæterum, sicut usus iudiciorum non ubique est uniformis: ita quoque hac in re observanda est diversitas styli iudiciorum collegiorumque Saxoniorum. Namque in Wittenbergensibus invaluit hucusque, ut dies, quo comparandum est reo ad positiones, sum Einbringen/ usque ad horam pomeridianam VI. computetur, atque adeo accusatio contumaciæ antea ab actore facta, minus attendatur. Itaque reus, qui post horam quintam pomeridianam demum in termino ad libellum actionis cœpit respondere, pro contumace minus habendus videbatur JCCtis Wittenberg. vid. *Bergerum in Occon. juris Lib. IV. Tit. 14. pag. 996.*

§. XII.

Nihilominus tamen huic usuali interpretationi obstare videntur *L. 8. ff. de Cond. & demonstr. & L. 21. ff. de judic.* in quibus cavetur, non omne momentum exigendum, neque in mora modici temporis magnum damnum esse, *j. L. 105. ff. de solut. L. 73. L. 135. §. 2. ff. de Verb. obl. L. 17. de pecun. constit. L. 1. §. 8. ad L. Falcid.* Unde sequi quidem volunt, post horam IV. pomeridianam

nam citatum impune comparere posse. Sed ad has omnes leges brevibus respondemus, distinguendo inter actus, in quibus momentum pro forma habetur, ut in fatalibus appellationis, & eos, in quibus minima non curat prætor. His casibus facile concedimus superiores assertiones, illis vero minime, quia sic omnis sanctio & bonus ordo corrueret, litesque hominum in infinitum protraherentur. *cap. cum Speciali. X. de appell. L. ult. pro suo. cap. 2. X. de Reg. Jur. & ipsum iudicium redderetur elusorium, L. 18. C. de appell. L. 75. ff. de iudic. L. ult. ff. ne quid in loco publico. vid. quoque Brederod. Tract. de Appell. P. I. tit. 7. de fatalib. p. 117. Et quia forma in minimis præcise servanda est, Felin. c. cum dilecta. de Rescript. n. 56. constat piam causam quoque ab appellando repelli, si momentum fatalis neglexerit. Tiraquell. de Jud. in reb. exig. ferend. P. II. qu. 3. & VII. qu. 25. & 42. Sic Perillusus B. de Lyncker, in Dec. 709. rubr. ponit, momentum temporis à lege vel iudice præfixum, ad præcludendum attendi debere, idque responso incluti Scabinatus Jenensis de A. O. 1695. confirmat. Suffragatur quoque hac parte nobis B. Stryk. in not. ad Lauterb. de fer. & dilat. verb. vesperam. tradens, in iis locis, ubi duo vel plura sunt horologia, ad præcipuum in dignoscendo tempore termini præfixi, respiciendum esse. Quo loco & illud adjiciendum est, quod, si canonicus aliquis, v. g. ultimo die Januarii mortuus fuerit, & plura horologia, horas diversimode significantia, in illo loco sint, adeoque dubium sit, utrum ille in mense papali, an capitulari mortuus sit, tunc respici debet ad horologium ecclesiæ cathedralis. Sed quid consilii, si plane nul-*

lum in ejusmodi loco adesset horologium? responde-
tur, hoc casu hora IV. ex sciatifico legenda est, & si
parti ex incuria hæc ruat, minime se exceptione dese-
ctus horologii contra contumacia accusationem tuebi-
tur, quia jura vigilantibus scripta sunt, *L. quod autem*,
6. §. sciendum. Li pupillus. 24. inf. qua in fraud. cred. L.
non enim. 16. pr. ex quibus causis major.

§. XIII.

Progredimur ergo ad effectum hujus clausulae, di-
spicientes, qualis ille sit. Hic autem duplex statim ex
tractatione nostra apparet, (1.) tam actorem, quam
reum, modo ante horam IV. in termino præfixo se si-
stant, à contumacia accusatione immunes esse. (2.)
Neque actorem, neque reum post horam IV. pomeri-
dianam comparentes eam evitare posse. Antequam
autem duplicem hunc effectum deducamus, pauca
quædam de contumacia in genere præmittenda sunt.

§. XIV.

Contumacia, ut contumelia, à *contumendo* vel *tu-
mendo* dicta videtur *L. 1. pr. ff. de injur.* & est in signifi-
catu proprio & juridico sumpta, neglectio præcepti vel
jussus judicis, cui obediendum erat, *L. 53. §. fin. ff. de
re jud. L. 1. §. 1. ff. si quis jus dicenti non obtemp.* nam
extra territorium jus dicenti impune non paretur, Pau-
lus in *L. fin. ff. de Jurisd.* Hæc multis modis committitur,
(1.) non veniendo, *L. 68. ff. de Judic. L. 53. §. 1. ff.
de re jud. c. 43. c. 11. quæst. 3. c. 1. c. 6. X. de dol. Et con-
tum.* (2.) non agendo, *L. 5. C. de ingen. manum.* (3.) non
respondendo, *L. 11. §. 4. ff. de interrog. in jur. fac. c.*

I. X. de

L. X. de Judic. c. 4. X. cod. (4.) non probando, quæ cuiquam injuncta sunt, *Wesenberg. ad L. 13. C. de Judic. Carpz. in Proc. tit. 13. art. 1. §. 7.* *Bèsold. de Appellat. c. 6. p. 194.* (5.) non restituendo, *L. 68. ff. de R. P. L. 8. ff. de in litem jur. L. un. §. 1. ff. si quis jus dic. non obtemp.* (6.) non jurando, *L. 38. ff. de jurejur. c. 4. X. de dol. & contum.* (7.) non exhibendo, *L. fin. §. 1. ff. de Appell.* (8.) instrumentum non recognoscendo aut diffitendo, *vid. R. I. de anno 1654. §. 34. 39. 54. Ord. Proc. Sax. tit. 25. §. 28. et auct. Carpz. de Proc. tit. 14. art. 3. 7. 5.* (9.) infecto negotio recedendo, *c. 4. X. de dol. & contum. c. 1. X. de judic. can. 43. caus. II. q. 3.* Hos modos recenset *Kulenkamp. in Disput. sua de Contumacia, thes. 7.* quibus accedunt (10.) se non legitimo modo exhibendo, cum quis satellitibus stipatus armatusque coram iudice, cui reverentiam debet, vel per procuratorem non satis legitimum comparet, *L. 13. §. 2. C. de Judic. c. 46. §. si autem, de Elect. in 610. Dn. Schvyvendend. de accus. contum. c. 4. §. 13.* Denique in genere (11.) non faciendo, quæ iudex præcepit, *L. 1. §. 1. ff. si quis jus dic. non obtemp. Lauterb. in Colleg. theor. pract. d. tit. 16. 3.*

§. XV

Dividitur contumacia (1.) à forma in veram & præsumptam, seu quod idem est, in propriam & interpretativam: plane uti dolus alius est verus, qui ex proreſi & proposito oritur, adeoque propriorum delictorum formam constituit, *Lege 7. de Jurisdic. L. 32. ff. de dolo malo.* alius præsumtus, cum lex aliquid pro dolo habet, uti cum lata culpa vel nimia negligentia dolo

ibidem

com-

comparatur, *L. 226. de V. S. L. 31. ff. de pos. (2.) a causa efficiente in actoris & rei: ubi simul notandum est, illum vel ante vel post litis contestationem contumaciam admittere posse, hoc tamen sub discrimine, ut priori casu non prius ad causam suam prosecutionem admittatur, quam refusus reo expensis, praestitaque de damno & litis prosecutione, idonea cautione, cap. 9. b. i. in 6to. posteriore autem casu, & si post L. C. contumax sit actor, nec iusta & legitima allegare possit impedimenta, tunc reus ab ipsa actione instituta absolvitur. Vultejus de Judiciis. Lib. 2. c. 6. n. 166. seqq. Reus vero ante Lit. Cont. contumax, refusus actori expensis, pati debet, actorem, praevia iudicis sententia, in possessionem bonorum suorum mitti, annoque effluxo, verum possessorem constitui, *L. 7. §. 17. §. seqq. ff. quibus ex caus. in possess. L. 5. C. de bon. autb. jud. possid. Nov. 83. c. 4. Autb. Et qui jurat. C. eod. Zasius ad tit. ff. de damn. infect. Vultej. de Judic. L. 21. 6. Si post L. C. contumax fiat, & constet tamen iustam litigandi causam habere, in expensas tantum condemnatur, per. *L. 13. §. 2. C. de Judic. L. 8. C. quom. & quand. Gail. L. 1. obs. 60. n. 9. Umm. de Process. Diss. I. 6. 3. n. 9. Si vero liqueat reum temere litigare, in causa principali definitive pronuntiatur, per *L. 3. C. quom. & quand. Jud. ibiq; Brunnem. n. 4. Mev. P. 2. Dec. 265. n. 8.****

§. XVI.

Ceterum, uti non omnis absens statim pro contumace haberi potest, sed judicari imprimis convenit, an non iustas absentiae causas is allegare habeat: ita in ejusmodi

modi legitimis impedimentis à Kulenkampio aliisque
 numerantur (1.) Solemnitas nuptialis, L. 2. ff. de in jus
 voc. (2.) funus uxoris, liberorum, aliorumque propin-
 quorum. L. 2. ff. de in jus voc. L. 4. §. 2. ff. si quis caut.
 jud. sfsf. (3.) Carentia & morbus procuratoris aut advo-
 cati, L. ult. C. de procurat. L. 19. §. 2. ff. de probat. c. 4.
 X. de dol. & contum. Wesemb. ad L. 13. C. de Judic.
 n. 42. Brunnem. ad L. 4. C. de postul. Zanger. de Ex-
 cept. P. 2. c. 9. n. 13. Carpz. Jurispr. for. P. I. C. 8. D. 9.
 & in Proc. tit. 8. art. 2. n. 48. (4.) tempestas ventorum
 pluviarum, vis fluminis, aut inundatio, L. 2. §. 3. 6. & 7.
 ff. si quis caut. L. 4. 5. ibid. Brunnem. de Process. c. 4. n. 7.
 Nicolai. d. Proc. c. 22. p. 399. (5.) peregrinatio reipublicæ
 causa, aut aliud necessarium iter. L. 6. ff. si quis caut.
 in jud. sfsf. L. 8, L. 26. §. 8. L. 35. §. 7. ex quib. caus. major.
 Mev. P. 8. Dec. 244. Nicolai de Proc. c. 34. p. m. 397. (6.)
 incarcerationio, L. 4. §. 1. ff. si quis caut. Lauterb. Concl. fo-
 rens. Exercit. 6. th. 21. sive arrestum personale, L. 21. §.
 2. ex quib. caus. maj. Brunnem. in Comment. C. ad L. 2.
 quib. ex caus. maj. n. 6. (7.) locus ob turbas bellicas,
 latrones, Carpz. Jurispr. for. P. I. C. 9. D. 7. vel pesti-
 lentiam non satis tutus, Berlich. P. I. concl. 17. n. 56. 58.
 Mev. P. 3. Dec. 169. (8.) ignorantia citationis, L. 7. ff. de
 judic. Perez. in C. ad tit. quom. & quand. jud. n. 6. Brun-
 nem. ad L. 2. & 3. ejusd. tit. quas justas emansionis cau-
 sas allegans summarie probare, & interdum juramento
 confirmare tenetur. Carpz. tit. 8. art. 2. & 3. Brunnem.
 ad L. 7. de in integr. restit. vid. Du. Schyvendend. ad Fib. c.
 2. p. 171.

§. XVII.

Superioribus id quoque adjiciendum est, quod, ut quis in contumacia constituatur, primo opus sit, illum à iudice competente legitime fuisse citatum: quoniam non videtur frustrandæ actionis causa latitare, qui præsens iudicium suscipere non compellitur, *lege 3. ff. de iudic. Secundo*, ut absentis contumacia solemniter fuerit accusata: regulariter enim obtinet tritum illud practicorum proverbium, contumaciam non accusatam non nocere, vid. *legem 13. §. 2. C. de iudicis. Gail. obs. Libr. 1. obs. 55. n. 6. & 7. Carpz. in Proc. Tit. VIII. art. 1. n. 4.* Quod si itaque contumaciam adversarii non incuset præsens pars, citatio circumducitur, hoc est, pro nulla habetur, quasi facta non sit, *lege 73. §. 1. ff. de iudic. neque iudex in his, quæ sunt de iuribus partium, ex officio procedere potest. confer. in hanc rem Illustr. Dn. Præsidis Dissert. de Terminis circumductis.*

§. XVIII.

Quibus ita de contumacia in universum præmissis, proximum est, ut dispiciamus, utrum contumacia postulari iure possit, qui citatus, ut *iusto tempore matutino compareat*, zu rechter früher Tages Zeit unausbleibend zu erscheinen / demum post meridiem in loco iudicii præsentem se sistit? Hic vero deficiente expressa principis vel etiam iudicis, citationem emittentis, determinatione, ante omnia ad usum iudiciorum videtur esse respiciendum. Quod si enim iudicia non nisi horis ante-meridianis, ut in aliquibus locis constans mos fert, exercentur, post meridiem autem neque sessiones continuant.

nuantur, neque alij actus judiciales, utpote clauso quasi
 justitia sacrario, expediuntur, sane facile est ad intelli-
 gendum, citatum sub clausula, *ut justo tempore matu-
 tino compareat*, revera quoque antemeridianis praesen-
 tem, & quidem vel in persona propria, vel per ido-
 neum procuratorem, se sistere debere. Perperam enim
 & inutiliter verba illa posuisse judicem, minime est
 praesumendum, at ex hypothesi praedictae observantiae
 omni destituta forent effectum, nisi in significatione pro-
 pria atque grammatica acciperentur. Atque hoc multo
 magis obtinere censendum est, ubi in uno alteroque
 loco per expressam constitutionem sancitum est, praecise
 matutinis horis comparitionem & indicationem sui in
 termino fieri debere: veluti in Ducatu Magdeburgico
 sancitum legitur, ut horis pomeridianis comparentes in
 expensas termini condemnari debeant, *Ordin. Proc.
 Magdeb. cap. 10. §.* Es sollen alle diejenigen *2c. versic.
 Sommers* Zeit von Ostern bis Michaelis des Mor-
 gens früh um 8. des Winters Zeit aber um 9. Uhr /
junet. vers. oder in beyden Fällen dem erscheinenden Theil
 die verursachten Unkosten zu erstatten schuldig seyn. Id
 quod etiam in Principatu Anhaltino receptum, ubi praeterea
 advocati justo tempore non comparentes in unius
 floreni multam condemnantur. *Ordin. Judicial. Anhaltin.
 Tit. 7. §. 1.* ibi: Derselbe soll jedesmahl dem Caus-
 ley-Fisco einen Gulden Straffe erlegen / über das dem
 zu rechter Zeit erscheinenden Theil die verursachten Un-
 kosten zu erstatten angehalten werden.

Quantum vero ad alia, eaque Saxonica inprimis at-
 tinet

tinete fora; in quibus etiam pomeridianis horis ambigua causarum fata dirimuntur, subdistingendum videtur, quod ad intellectum nostrae clausulae respicit, inter actus, qui horis antemeridianis praecise veniunt expediendi, & negotia quae post meridiem quoque tractari possunt, ita, ut illis casibus, v. g. Wenn Verh r angeordnet worden / oder g tliche Handlung gepflogen werden sollen / saltem ante horam XII. antemeridianam comparere teneantur partes, nisi in expensas termini condemnari velint. Vid. Dn. Schwendend. *ad Fibig. Process. p. 149.* Dn. Berger. *in oeconomia Juris Libr. IV. T. 14. §. 3. n. 6.*

§. XX.

Quo loco non immerito quaritur, annon testium examen, eidemque adnexi actus, antemeridianis horis praecise expediri debeant? e. g. actor probare iussus, comparet in termino certa hora matutina, a iudice in citatione praefinita, producitque testes suos, annexa petitione, ut hi interposito juramento examinentur, eaque in re faventem quoque invenit iudicem: Reus autem ad videndum jurari, nec non ad offerenda interrogatoria citatus, demum circa horam IV. pomeridianam comparens, petit, ut testium examen super interrogatoriis oblati reiteretur. Hinc in disceptationem veniebat, an adhuc audiendus sit reus, nec ne? Dubitandi ratio erat, quod dies ipsi non simpliciter praefinitus, sed certa hora pro termino denominata fuerit, quodque hanc dispositionem iudicis non temere negligere, sed scire debuisset, receptum esse, testes non pomeridianis, sed antemeridianis.



meridianis horis jurare oportere, Nihilo tamen secius
 responsum fuit à Facult. Jurid. Wittebergensi Mens. Maj.
 Ao. 1705. omnino reum adhuc audiendum, & testes ad
 oblata interrogatoria examinandos esse, his verbis: Daß
 Klägers Suchen nicht statt hat / sondern es sind die an-
 gegebene Zeugen über Beklagte, Interrogatoria, jedoch auf
 dessen Unkosten / vermittelt Eydes billig abzuhören.
 D. R. W.

§. XXI
 Juramentorum præstationes jejuna mente ventri-
 culoque cibo potuque minus operato fieri debere com-
 munitè invaluè. Quaritur, hinc, quid juris, si ad jur-
 andum citatus sub clausula, ut justo tempore matutino
 compareat, demum post meridiem se sistat? Et pro con-
 tumace eum nondum habendum esse, referente Ex-
 cell. Rivino in *Enunc. ad O. P. tit. XIX. Enunc. 127. in
 Scabinatu Lipsiensi Mens. Aug. Aug. 1699.* pronunciatum est:
 Eyde ihr actione injuriarum æstimatoria belanget / und
 euch der Eyde über der angestellten Klage deferiret wor-
 den; Als ihr nun in dem hierzu anberaumten Termine
 Nachmittags um 1. Uhr allererst beym A. Quario erschie-
 nen / so stehet Kläger in denen Gedanken / daß ihr
 euch an dem Eyde veräuget / und ihr verlanget / was
 dießfals Rechtens? berichtet zu seyn. Ob nun wohl
 derjenige / welchem ein Eyde zuerkandt / daferner er in
 termino jurandi ohne erhebliche Ursache außenbleibet /
 sich daran veräuget; der Kläger auch anführen möch-
 te; daß weil die Tagefahrt zu Ablegung des zuer-
 kandten Juraments / ihr euch allerdings Vor-

ADUHTIV

C 3

mitta

mittage angeben sollen / und nach der Mahlzeit die Eydes-
 Leistung nicht füglich geschehen könne; Hiernächst
 das vorgeschüzte Hinderniß so nicht beschaffen / daß sel-
 biges euch sonderlich zu statten kommen mag. d. a. u. d.
 dem citato regulariter, und daferne ein anders nicht in-
 sonderheit beständig eingeführet / der ganze Tag / auf
 welchen der Termin angesetzt / zu gute gehet / folgendes
 er / wann er sich nur darinnen angiebt / und das jenige
 worzu er vorgeladen worden / zu practiren bereit ist / al-
 lerdings zu hören / und eines Ungehorsams mit Zug nicht
 zu beschuldigen / die Eydes-Leistung von solcher Regul
 in denen Rechten nicht eximiret / auch keine Ursache zu
 finden / warumb selbige nicht nach der Wahlzeit / daferne
 ne nur derjenige / so schweren soll / nicht etwann mit
 übermäßigen Trunk angefüllet / solche vorgegenommen
 werden können. So möchtet ihr / daferne ihr umb 10
 Uhr Nachmittags in die Termini gehöriges Orts zu
 Ablegung des zuerkandten Eydes euch angeeigen / vor
 ungehorsam / oder daß ihr Euch an dem Juramente ver-
 säumet / nicht geachtet werden. **R. N. W.** Quo tollineant
 Responsa ab eodem Scabinatu Mens. Sept. 1693. data
 Daß gestalten Sachen nach die eingebrachte Ungehör-
 sams / Beschuldigung nicht statt hat / sondern es wird
 zu Ablegung des zuerkandten Haupt-Eydes / so wohl
 des vor Gefahrde / anderweit ein Termin billia anbe-
 raumet / **R. N. W.** Et Mens. Nov. 1693. Daß Klägers
 Suchen nicht statt hat / sondern es wird Beklagter zu
 Ablegung des ihm durch den Fol. 17. befundlichen Ab-
 schied aufserlegten Eydes annoch billich zugelassen. **R.**
N. W. Denique in simili causa apud laudatum J. C. Ri-
 vinum,

viam, *Embric. Tit. X. N. LXII.* legere est: quod juramentum pro deserto non fuerit habitum, cum post auditam duodecimam se offerret, qui jurare iustus erat, M. April. 1689. Das Klägers Suchen noch zur Zeit nicht stat hat / sondern es ist Beklagter zu Ablegung des ihm zuerkandten Eydes annoch billich zuzulassen / R. N. W.

§. XXII.

Atque hæc quidem de actibus judicialibus, quæ ex communi opinione non nisi antemeridianis expediendi videbantur, disputasse sufficiat. Quod ad alia negotia attinet, res tanto magis est expedita, quanto certius est, quod in die juridico, ad quem partes litigantes citantur, hora non observetur, prout fit in appellationibus, leutationibus & arrestis, sed cedit tota dies, vid. Carpzov. in *Jurisprud. forens. Part. I. Const. 2. Def. 23.* Quantum vis ergo aliquis citatus fuerit, ad se sistendum summo diei mane, zu rechter früher Tageszeit / & demum post meridiem in judicio compareat, tamen pro contumace non est habendus, quia judex citatum ad certum temporis momentum non adstrinxisse, verum hoc solum voluisse videtur, ne citatus in comparendo moram contrahat, sed matutino potius tempore compareat, absque tamen metu poenæ, si tempus matutinum neglexerit. Aramaeus *Decis. Libr. I. Dec. II.* Carpzov. *Decis. Illustr. Part. I. Dec. XLIII.* ubi non solum ex instituto nostram sententiam tuetur, sed etiam subjuncto præjudicio ex scabinatu Lipsiensi usum illius egregie firmat: illud autem in terminis ita se habet: Seyd ihr von R. N. verfla.

flaget / und auf einen gewissen Tag vorgeladen worden.
 Als nun derselbe herbey kommen / seydt ihr / wiewohl
 allererst Nachmittags erschienen / in Willens / eure recht-
 liche Nothdurfft wider ihn vorzubringen / er hat aber
 euch ferner nicht zulassen wollen / sondern stracks euren
 Ungehorsam beschuldiget / und selbigen Termins Un-
 kosten gebethen / aus Ursachen / daß ihr zu rechter früher
 Tages Zeit zu erscheinen vorgeladen gewesen / so ihr
 aber nicht in acht genommen / dahero ihr vor unge-
 horsam zu achten. Wenn nun gleich der Citation sel-
 bige Clausul , daß ihr nemlich zu rechter früher Tages-
 Zeit erscheinen solltet / einverleibet gewesen ; Die weil
 aber dennoch noch vor Verfließung des bestimmten
 Tages / und zwar Nachmittages zu der Zeit / da die
 Sache noch wohl vorgenommen werden können / ihr
 euch angegeben : So seydt ihr vor ungehorsam nicht
 zu halten / noch deswegen in die Unkosten zu verthei-
 len. B. K. W.

§. XXIII.

Caterum quanquam ex haftenus deductis satis
 manifeste apparet , non ob stare saepe commemoratam
 clausulam , quo minus sub illa citatus etiam postmeri-
 dianis horis in iudicio comparere possit : tamen illud
quoque est monendum , regulariter non ultra quar-
tam horam auditam emanendi licentiam esse partibus
litigantibus. Cujus rei rationem si quis desideret , vi-
 detur eam reddere Paulus JCTus in lege 2. §. 1. ff. de R. S.
 cum ait : Cujusque diei major pars est , horarum septem
primarum diei , non supremarum. Scilicet , supponimus
 hic,

hic, quod etiam communiter usu venire videmus, brumali pariter atque æstivo tempore non aperiri judicia, ante quam audita fuerit hora octava matutina: jam si numeres usque ad horam quartam pomeridianam, subtracta una hora intermedia, cibo capiendò destinanda, remanebunt septem illæ primæ & meliores dici horæ, de quibus JC. citato loco.

§. XXIV.

Unum hoc per modum coronidis est adjiciendum, quod, quemadmodum in judiciis & Collegiis Wittebergensibus, dies, quo comparandum est reo ad positiones, zum rechtlichen Verfahren und Einbringen / usque ad horam pomeridianam sextam computatur, prout supra jam §. XI. cum Bergero, gravissimo ejus rei teste, notavimus: ita quandoque ex singulari juris ratione obtineat, ut etiam in aliis, quam Wittebergensibus collegiis judiciisque, terminus ultra horam quartam auditam, extendatur. Sic enim supra laudatus Dn. Rivinus ad Tit. XXXV. Ord. Proc. Saxon. Enunc. XLIX. recordari se scribit, responsum injunctam fuisse Leuterato, qui hora quinta accusaverat contumaciam Leuterantis, quem judex admittebat hora septima vespertina jamjam audita, daß er nach anderweit vorgehender Ladung seines Vorwendens ungeachtet / auf die allbereit prosequirte Leuterung sich einzulassen schuldig: In Verbleibung dessen wird darauf billig erkannt. B. N. W.

§. XXV.

Satis ostensum fuit in §. antecedente VII. omnes actus judicarios nocturnos hodie plane abrogatos esse,

D

nisi

105

nisi quod in criminalibus interdum, necessitatis casus aliud suadere soleat: hoc vero alicui Dd. etiam ad actus voluntariæ jurisdictionis trahere contendunt, rati, nocturno tempore neque contractus iniri, neque instrumenta aut testamenta confici, neque transactionem recte fieri posse, vid. Ripa de *noct. temp. cap. 113. num. 2.* Antequam itaque hic abeamus, finemque labori huic extinguo imponamus, paucis adhuc in hujus sententiæ veritatem inquisituri sumus.

§. XXVI.

Dum vero quidam Juris-Consultorum statuunt, nullos contractus, transactiones &c. noctu iniri posse, opinionem suam autoritate Imperatoris Maximiliani I. Notariis, ne operas nocturnas alicui præsentent, interdicentis, communicare conantur, quæ prohibitio extat in der *Verordnung wegen der Notarien/ von Anno 1512. §. Die Notarien sollen auch des Wissens haben &c.* & porro argumentantur, quia transactio vim rei judicatae habet, per *L. causas. 16. L. non minorem. 20. C. de trans. L. 2. §. L. 21. ff. de jurejur.* ideo perinde ac sententia noctis tempore lata, repudianda est, Vant. de *Nullit. sentent. ex defect. jurisd. ordinand. num. 132.* Jason. ad d. *L. 20. n. 3.* Signorol. *Cons. 52.* Felin. in *c. consuluit. num. 19. X. de offic. deleg.* Sed maxime ipsis obstat *L. non minorem. 20. C. de transact.* ubi Imperatores Diocletianus & Maximilianus expressis verbis Antistia rescribunt, *ad rescindendum pactum (idem vero juris est in transactione) non sufficere, quod hoc secunda hora noctis intercessisse proponas, cum nullum tempus sane mentis majoris viginti quinque annis consensus repudiet.* vid. Richter. ad hanc *L. num. 17. seqq.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Concesso itaque, transactiones nocturnas hodie valide subsistere, quis est, qui de testamenti confectione nocturna dubitabit? *L. ad testium. 22. §. posse, 6. ff. qui testament. fac.* Semper enim in hoc conficiendo necessitas aliqua vel realis, ut mors imminens, vel imaginaria, cum quis putet, sibi brevi tempore mortem cum vita commutandum esse, subest, vid. Polyd. Rip. *Tract. de temp. noct. cap. 113. num. 9.* Dissidentes hoc argumento utuntur, posse quidem noctu pacta, transactiones, & stipulationes fieri, non vero actus civiles legitimos & legis actiones, solam signationem concedentes, *L. 22. in fin. ff. qui testament. fac.* cui vero expressa legis sanctio contrariatur, dum testamentum uno eodemque actu fieri debet, *L. 28. C. de testam.* Sic quia nocte testamenta signari possunt, possunt & subscribi, & tota recte fieri, *Synops. Basil. 35. tit. 1. c. 23.* vid. Hotom. ad *L. 20. C. de trans.* Denique adversa sententiae patronos non juvat supra citata prohibitio Maximiliani I. his verbis: Die Notarien sollen auch des Wissens haben/ das sie nicht bey Nacht / denn allein aus Ehehassten Noth-Sachen/ oder auch sich heimlich nicht bitten lassen/ Instrumenta zu machen/ dieweil solches nicht ohne Verdächtigkeit geschehen kan ic. Siquidem Imperator ipse vult, legem, si periculum in mora sit, non stringere.

Hæc, quæ de transactionibus & testamentis dicta & probata sunt, porro ad omnes reliquos contractus mutui, depositi, commodati, pignoris &c. codicillos, donationem & satisfactionem extendi possunt, & debent. Sed quid sentiendum de Arresti petitione, & ejus concessione, tempore nocturno faciendâ, cum nostris temporibus judicia nocturna non amplius exercentur? Responderi potest ex ratione supra adducta, si necessitas inevitabilis aut alia urgens causa suadeat, omnino etiam nocturno tempore arrestum peti & concedi posse, e.g. si debitor de fuga suspectus sit, aut præventio ab aliis creditoribus timeatur, Carpz. *P. I. C. 29. D. 16. & Proc. tit. 21. art. 3. §. 2. num. 10. seqq.* Petr. Peck. *de jure sistend. c. 10. §. 2.* Dan. Moller. *Lib. 3. semestr. 44. n. 1.*

Tantum!

D. S. L. H. A. G.



AD
NOBILISSIMUM JURIVM CANDIDATVM

WENTZELIVM

ERVDTÆ DISSERTATIONIS

DE
JUSTO TEMPORE MATV-
TINO

A V T O R E M .

OMnia Tempus habet: magna
est in Tempore virtus:

— Observat merito Tempora quis-
quis agit.

Hinc Tibi, WENTZELI, dum
Tempora justa recenseres,
Tempora jam dudum præmia ju-
sta parant.

Prospborisis votiva
P R Æ S I D I S

Qui

Qui matutino coluisti tempora
Jura,
Tempore nunc justo præmia
digna refers.

Tribus hisce honoribus Academicis
Nob. Dom. Candidati Wenzelii, ne-
potis sui ex fratre suavissimi in me-
dio laborum strepitu gratulabun-
dus applaudit

JOH. CH. WENZEL, D.
Gymn. Zittav. Director.

Bleichwie bey Monden-Schein der im-
mer düstre Schatten
Sich mit den Körpern pflegt ganz unzer-
trennt zu gatten/
So folgt die Ehre auch der Tugend und
dem Fleiß/
Als Deine Würde ietzt uns zu bezeugen
weiß.

Nun

Nun gehe Dir das Glück auch überdis zur
Seiten/
So folget Ehr und Ruhm zu rechten Tages-
Zeiten.

Dem Herrn Licentiato sich zu beständiger
Gewogenheit zu empfehlen schrieb dieses
wenige

Joh. Friedr. Bildvogel.

Mein Wunsch soll dieser seyn : GOTT
lasse diese Ehre/
Die Dir mit Recht gebührt/den Grund
zu mehreren seyn !
Er gebe/ daß sich bald dein Standt und Glück
vermehre/
So trifft mein treuer Wunsch mit aller Wun-
schen ein.

Mit diesen wenigen in Eyl aufgesetzten
Zeilen wolte dem Herrn Licentiato
seine Schuldigkeit bezeugen
Deßsen Ergebener

David Otte, Hamb.

Quam

Quam belle veniunt Tibi, Amice Colende,
Calende
Quas nobis Jani tempora leta parant!
Quippe Themis capiti largos, quos Pindus honores
Dudum promisit, spargit amica Tuo.
Exornat laurus, meruit quam cura laboris
Frondem. Eja! Astræ ferta benigna sient.


Pauca hæcce in tesseram amicitiae infucatae
apponere voluit

**Philippus Adolph. de Munch-
hausen, Eq. Thur.**

Qui nimium properat, velox in rebus agen-
dis,
Quique nimis tardus claudicat, ille perit.
Qui sapiens pensat momenta atque omnia cernit,
Is tandem justo tempore rite venit.
Hæc Tibi lex constat, Themidos dum prendis ho-
nores
Ostri felicitis sit Tibi latus apex.

In documentum infucatae amicitiae, quam
Nobilissimo Domino Doctorando,
Commensali suo honoratissimo propter
exquisiteam eruditionem debet, hæc pau-
cula apponere voluit

**Hilmar de Munchhausen,
Eques Thur.**



ULB Halle

3

005 312 361





1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

7

Præf. 7. num. 7.
1715/24^a
28

DISPVATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
CLAVSVLA FORMVLÆ CITATIONIS
INSERI SOLITA
**IVSTO TEMPORE
MATVTINO**

P. 465

Su rechter früber Tages-Zeit.

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
GVESTPHALIAE ET RELIQVA

EX DECRETO ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
PRAESIDE ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

CHRISTIANO VVILDVOGELIO

JCTO FAMIGERATISSIMO

SERENISS. DVCS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIO STATVS INTIMO
CVRIAE PROVINCIALIS COMMVNIS, ET SCABINATVS ASSESSORE
DIGNISSIMO, NEC NON COLLEGII IVRIDICI SENIORE GRAVISSIMO,
ET ANTECESSORE CELEBERRIMO

PATRONO SVO QVOVIS HONORIS CVLTV ETATEM COLENDO

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES, IVRA AC PRIVILEGIA
RITE CAPESSENDI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVSSIONI SVBMITTIT

AD DIEM XXIII JAN. M DCC XV.

JOHANNES GOTTLIEB Wenzel/ MIHLA-THURING.

LENÆ, TYPIS MVLLERIANIS.

